

Deum esse hominem præsupponi tamquam subjectum in prædestinatione termini, quod non potest non esse in intentione, nisi eodem actu prædestinandi velint distinguere duplicem ordinem intentionis, et executionis; ut si dicatur, quod Deus intendit prædestinare prius, et post exerceat prædestinationem, quod tamen in S. Thoma non invenitur, neque a Thomistis hujusque excogitatum: et semper restat difficultas, quomodo in prima intentione designatur singularis terminus, et non respectu singularis subjecti præsuppositi. Hoc consulto notavi propter modernos Thomistas, quia est facilis æquivocatio.

CXI. Vera ergo solutio est facilis ex doctrina data, quod ut argumentum probat, semper Deum esse hominem intelligitur prius tam ordine intentionis, quia in utroque ordine est subjectum respectu hujus termini, scilicet, quod homo sit Filius, quæ est doctrina a nobis tradita, et propter hanc causalem, scilicet: Quia est subjectum, explicavimus præcedentiam ipsius ad terminum, unde argumentum non est contra nos quantum ad hoc. Et ad ultimam consequentiam, quod propter hunc effectum, scilicet, Deum esse hominem, sit patratum totum mysterium negatur consequentia, quia illud est intentum tamquam subjectum alterius, et per consequens non sistitur in illo, nec propter illud dicendum est, quod terminus est prædestinatus, sed potius subjectum propter terminum.

CXII. Illud autem principium philosophicum: Quod est primum in intentione est ultimum in executione, et e contra, non intelligitur de illis, quæ habent præcedentiam essentialem, verbi gratia inter radicem, et passiones; inter causam, et effectum; inter subjectum, et accidens: semper enim, et in quo-

cumque ordine radix præsupponitur ad passionem, causa ad effectum, et subjectum ad accidens, et hoc modo etiam est subjectum, et terminus prædestinationis; sed solum de aliis effectibus subordinatis, qui taliter sunt effectus, quod ex se non habent essentialem præcedentiam, neque causalitatem, sed solum ex vi ordinationis agentis, unum ad aliud tamquam medium ordinatur, et media ad finem, et sic inter finem et media, et inter ipsa media inter se verificatur hoc principium philosophicum.

CXIII. Si dicatur: Sequitur quod etiam in prædestinatione hominum substantia prædestinati possit dici effectus prædestinationis illius, sicut dicitur, quod in prædestinatione Christi subjectum efficitur ex vi ejusdem actus prædestinationis, si quidem substantia prædestinati est subjectum in ejus prædestinatione

CXIV. Respondetur, quod aliqui dicunt, quod substantia prædestinati est effectus prædestinationis, nos tamen in parte de prædestinatione, disp. ix, art. v, sustinimus substantiam prædestinati non posse esse effectum prædestinationis ipsius, quia est in ordine naturali, et ordo naturæ præsupponitur ad ordinem gratiæ. Et dicere, quod idem actus secundum diversas formalitates producit substantiam in esse naturæ, et prædestinat in ordine gratiæ, est dicere quod idem actus est naturalis, et supernaturalis in Deo, et quamvis idem Deus sit auctor naturæ, et gratiæ, tamen secundum diversas rationes diversi actus assignantur, et secundum diversos effectus, et terminos. Propter quod ut supra dictum est, inquit S. Thomas, quod prædestinatio Christi, et hominum est diversæ rationis, imo quod analogice differunt in iii, dist. x, quæst. iii, quæstiuncula ii, in corpore, quamvis utraque sit ordi-

nis supernaturalis, quanto magis si unus effectus sit ordinis naturalis, et alius supernaturalis.

CXV. Tertio arguitur: In illa prima unione, quando intelligitur Verbum uniri humanitati, primo intelligitur etiam humanitas uniri Verbo, quia unio est nexus duorum extremorum, et non stat quod unum extremum uniatur alteri, et non quod alterum uniatur illi, et hoc non solum in re, sed etiam neque in intellectione, quia in quantum unita sunt relativa, et relativa sunt simul natura, et cognitione, et ex ipsa essentia unionis patet, quia nequit intelligi uniri unum si non intelligatur alicui uniri, ut habet S. Thomas supra quæst. ii, art. viii, in corpore; ergo in illo primo effectum, quem S. Thomas inquit, quod est unio, loco citato in iii, dist. x, quæst. iii, quæstiuncula prima ad primum, æqualiter intelligitur humanitas, et persona unita; ergo in secundo effectum æqualiter sequitur, quod Filius sit homo, et homo Filius, quando S. Thomas dicit, quod sequitur filiatio ad unionem; ergo nulla est ratio quare præintelligatur Filium esse hominem, aut hoc quod est hominem esse Filium, quam e contra; ergo nulla est ratio quare detur præcedentia in hoc quod est Filium esse hominem etiam secundum rationem, ut assignetur tamquam subjectum respectu alterius, quod est hominem esse Filium.

CXVI. Respondetur, quod hæc unio, quæ est specialis, quia est unio hypostatica, est idem quod incarnatio, seu humanatio, ut habet S. Thomas in eodem articulo octavo citato ad tertium. Et patet clare, quia in aliis rebus est Deus assistens, et unitus per essentiam, præsentiam, et potentiam, et in mente beati per modum speciei impressæ, et tamen nullibi est unitus hypostatice, sive unitus ut incarnatus, seu

humanatus; unde hæc unio addit supra rationem communem unionis, quod sit incarnatio, seu humanatio. Et quamvis attenda solum ratione communi unionis æqualiter sint extrema unita, tamen secundum rationem incarnationis, vel humanationis, non ita se habent, quia non explicatur ratio æquiparantiæ, sicut in sola ratione unionis, et ideo inquit S. Thomas ibidem: « Quod assumptio determinat, cui facta est copulatio ex parte assumentis, sed incarnatio, et humanatio ex parte assumpti. » Quando ergo dicit, quod prædestinatio primum effectum habet unionem, loquitur de unione hypostatica, et de incarnatione, et humanatione, et ad hanc inquit sequi filiationem, et sic patet quomodo prius intelligatur in prædestinatione Christi Verbum incarnatum, et humanatum, quam homo Filius.

CXVII. Quod si instes: In illo priori in quo intelligitur incarnatio, seu Verbum incarnatum, intelligitur ut suppositum humanitatis, quia non aliter habet formalitatem incarnati, et sic intelligitur homo; ergo quando in secundo effectum in quo dicitur a S. Thoma quod sequitur filiatio, et est ex vi prædestinationis homo Filius, affirmatur idem suppositum, quod præsupponitur, quia ly Filius, non prædicatur de illo homine, etiam ex vi prædestinationis, nisi ut suppositum illius, quia in alio sensu non erit vera propositio; ergo superflue ponitur secundus effectus secutus ad unionem, et ex gratia, et prædestinatione. Patet consequentia: Primus effectus continet totum, quod secundus, quia in secundo solum ponitur, quod Filius ut suppositum conveniat homini, hoc est, quod sit suppositum humanitatis per gratiam, et prædestinationem; hoc idem ponitur in primo effectum, quando intelligitur incarnatio, quia est effectus prædestinatio-

nis, et ex gratia Verbum unitur humanitati ut suppositum, quia hoc est incarnare; ergo non bene multiplicantur isti duo effectus, et per consequens, nec ratione distinguuntur subjectum, et terminus in ista Christi prædestinatione

CXVIII. Respondetur, quod in primo effectu idem est, quod in secundo realiter, non vero ratione. Quod patet, quia Filius, qui secundum se est Filius, et in propria natura, est capax ut sit Filius in natura creata, et est capax ut sit incarnatus, vel humanatus, vel ut homo, et consequenter prius natura, vel ratione saltem debet intelligi humanatus, quam Filius in humanitate, vel Filius ut homo, quia si non intelligitur homo, nequit intelligi Filius ut homo. Stat ergo bene, quod totum opus prædestinationis hujus sit hoc mysterium, scilicet, Verbum incarnatum, seu Verbum factum homo, et homo Filius, et hoc sit idem realiter, sicut ipsa prædestinatio: nihilominus tamen per rationem intelligatur duplex effectus solum ratione distinctus cum fundamento in re, et fundamentum est, quod nequit intelligi unum sine alio, et hoc sufficit, quod intelligatur aliud prius, hoc est, si non potest intelligi Filius in humanitate, neque Filius ut homo, nisi prius sit homo, bene sequitur quod intelligatur prius fieri homo, quam quod intelligatur, quod ut homo est Filius, et sic quod reperitur distinctio rationis inter unum, et alium effectum, et consequenter inter subjectum formaliter, et terminum. Et cum ipsi auctores contrariæ sententiæ dicant sufficere distinctionem rationis, non possunt illam negare hic sic explicatam, ac per consequens male negant prædestinationem, et semper fallacia stat, quod dum inquirunt distinctionem ad verificandam prædestinationem, intendunt inveniri distine-

tionem realem, et quia illam non inveniunt, negant prædestinationem propriam.

CIX. Vel aliis terminis hoc idem explicatur in exemplis allatis. Prius intelligitur, quod albedo uniatur corpori, quam quod corpus sit album, quia licet esse album, et albedo communicata sint idem realiter, tamen non possunt ad minus non distingui tamquam causa, et effectus, et cum aliqua prioritate ratione cujus verificatur ista causalis: Quia albedo unitur corpori, corpus est album per illam. Et in forma substantiali qualis est anima rationalis, prius intelligitur uniri corpori, seu informare illud, seu incorporari, aut incarnari suo modo, (quia cum sit spiritualis fit forma corporis carnalis) quam intelligatur corpus esse vivum vita substantiali per eandem animam: sicut enim corpus esse mortuum est effectus separationis animæ, et prius intelligitur separatio quam mors, ita corpus esse vivum est effectum unionis animæ. Ita similiter, quod Filius incarnetur, vel humanetur, prius intelligitur, quam quod homo sit Filius eadem filiatione, vel ab eodem Filio, qui humanatur, vel incarnatur.

CX. Et clarius apparet in subsistentia, vel existentia quas secum adducit anima: prius intelligitur, quod uniatur materiæ, vel corpori humano, quam intelligatur homo subsistens, vel existens per illam, quia ante non erat homo, quia anima solum est pars hominis: ut ergo fiat homo, debet uniri corpori, vel materiæ, et prius intelligitur hæc unio, quam homo intelligatur subsistens, et persona completa. Quare non eodem modo fiet discursus in subsistentia divina relativa, quæ est filiatio, et Filius, quod prius intelligatur Filius, cum hac causalis: Quia Filius unitur humanitati ille homo est Filius.

CXI. Et denique, sicut quando unitur

essentia divina, ut species impressa intellectui beati priusquam constituat intellectum intellectivum in actu primo, intelligitur uniri, quare non dicitur idem in præsentia quando unitur per modum personæ, et per modum subsistentiæ, quod prius intelligatur, quod homo est illa persona, sicut prius intelligitur, quod prius unitur intellectui, quam intelligatur intellectus constitutus per illam, ut intellectivus in actu primo? Certe nulla apparet ratio disparitatis, et in consequenter conceditur in his exemplis præcedentia aliqua, et negatur in prædestinatione, ad quam sufficit solum secundum rationem, ut ipsi concedunt.

CXII. Quod si ulterius instes: Distinctio, quæ debet assignari, et præcedentia, debet esse inter subjectum, et terminum; si autem sumatur ipse Filius, qui tenet se ex parte subjecti secundum se, nulla est distinctio a se ipso, etiam rationis, et sic non potest esse subjectum, et terminus. Si autem sumatur subjectum ipse Filius, ut est homo, ita ut includatur humanitas tamquam subjectum quo, jam est distinctio realis, et non solum rationis inter subjectum formaliter sumptum, et terminum, quia humanitas quomodocumque semper est distincta realiter a Filio in quocumque sensu, vel in quocumque effectu consideretur.

CXIII. Respondetur, quod si consideretur subjectum adæquatum, quod est suppositum humanatum, aliquid realiter distinctum includit a termino ad quem, scilicet humanitatem, quæ est subjectum quo, et ratione cujus illud suppositum ut homo, vel in quantum homo prædestinatur ad esse Filium. Quando autem ponitur solum distinctio rationis, est in eodem Filio non secundum se considerato, sed comparative ad humanitatem, hoc est, quod prius intelligitur uniri ipsi humanitati,

quam intelligatur ipse præbere suum effectum illi homini, vel quod ille homo accipiat esse Filium ab eodem Filio, qui unitus fuit humanitati, ut fieret subjectum, et ut homo esset Filius. Sicut dicitur in exemplis allatis, quod albedo eadem est, quæ unitur corpori, et facit corpus album, et sic de aliis, et non insistimus, si debet esse distinctio, et præcedentia realis, sicut ponitur in istis exemplis, si quidem ad intentum sufficit distinctio rationis, quæ est minor, et similiter inter subjectum quod, et terminum qui adæquate consideratum est solum distinctio rationis, quia in termino qui includitur subjectum, et terminus ad quem. Ex his patet solutio data articulo præcedenti ad ultimum argumentum, sufficienter explicata, et illud argumentum exacte solutum.

ARTICULUS IV.

Utrum Christus sit prædestinatus ad gloriam animæ, et gratiam habitualem, et alia dona supernaturalia?

I. In hoc articulo prima sententia asserit, quod humanitas Christi fuit prædestinata ad visionem beatam, et gloriam animæ, non solum ut subjectum quo, sed etiam ut quod. Ita tenet Durandus in III, distinct. VII, quæst. III; Scotus etiam quæst. III, quos sequitur Vazquez hic disput. XC, capite IV, in fine. Quorum fundamentum est, quod actiones non sunt suppositi, sed naturæ, tamquam principii quod.

II. Secunda sententia asserit, quod humanitas Christi principaliter fuit prædestinata ad gloriam animæ, quam ad unionem hypostaticam, et Christus consequenter prius prædestinatus fuit ad gloriam, quam